DEO OPT. MAX. UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM DIE JOVIS XXI. JANUARII.

1245

M. PHILIPPO HARDUINO DE S. JACQUES Doctore Medico, Præſide.

An morbis oppugnandis & expugnandis Stibium?

STIBIUM πολυώνυμον καὶ πολύχρυσον foſſile eſt medium inter lapidem & metallum, propria forma inſtructum, quod non concreſcit ex ſulphure & hydragyro, ut nec cætera corpora metallica, quidquid clamitent chemici χρυσοδαιδάλεοι: ſed in propriis matricibus & venis generatur, cum calor ſubterraneus ex peculiaribus atque definitis terris halitus exprimit ejus generationi idoneos, qui ubi penetraverint per rimas in metallicarum venarum ſaxa fœcunda, virtute μεταμορφωτικῇ ingenitâ, loci frigiditate, & ſiccitate, in metalli duritiem & denſitatem coguntur. χυτὸν eſt ſίβι non ἐλατόν. Optimum cenſetur ϛιλπνότατον καὶ λαμπυρίζον, ſeu radians, ſplendidiſſimum, cicindelarum modo emicans, in fractu cruſtoſum, friabile, nil terræ aut ſordium continens. ad κοσμητικὴν attinens γυναικεῖον καὶ ὀμματογράφον appellatur, quoniam intrito Stibio mulieres ciliis ſuperciliiſque lineamenta adumbrata depingebant ad ornatum, & nigro colore tingentes gratiam oculis conciliabant, ideò χρῶμα μεταλλικὸν μέλαν dictum eſt, & ϛιμμίσματα ὑπογράμματα τῶν ὀφθαλμῶν deſignant, ſed quia artificioſa iſthæc tinctura in calliblepharis mulierum oculos dilatare videbatur, πλατυόφθαλμον vocitarunt. Inter metallica corpora præſtantiſſimum locum obtinet ϛίμμις, plumbum & ſtannum dignitate ſuperans, quibus robur addit & firmamentum, ſplendorem & duritiem illis conciliat, unde antimonium denominatum quaſi ſit αὐθὸς ἄμμωνος, & quoniam morbis reluctatur contumaciſſimis ab ἀντιμένειν nonnulli dictum putant, vel ab ἀντὶ & μόνος quia ſummo cum vigore pertinaciſſimis & periculoſiſſimis affectibus obſiſtit. Nummarij adamantis maculas eo eluunt. Metallici campanas ejus permixtione ſonoras reddunt, fiſtulas εὐηχέας & patinas æmulantes argenteas atque vim ignis eludentes. Calcographi & typographi Stibio carere non poſſunt; ferri, auri, cæterorumque metallorum fuſuram promovet & aurum innoxiè expurgat.

ΣTIMMI ſecundum frigiditatis gradum non tranſcendit, ſiccitatis tertium, ad facultatem deſiccantem adjunctam habet adſtrictionem, meatus obſtruit, excreſcentes carnes cohibet, ulcera ad cicatricem perducit, oculorum expurgat ulcera, ſanguinem è meningibus profluentem ſiſtit, ambuſta igni in puſtulas erumpere non patitur. Veteres Medici ex eo collyria ſicca & liquida parabant, quale eſt Galeni aridum ad tuendam oculorum valetudinem, quibus robur addit, & humores in illos decumbentes arcet, oculorum prophylacticum: θεοδότιον ad epiphoras commendat. & αὐθήμερον ophthalmias ſedans è Stibio conflatum. Item φιλάδελφιον malabatrinum ἰσόθεον & oxydercicum. Non ſolum externis, ſed etiam internis remediis annumerandum eſt: aſſumptum Stibium ventriculo convenit & inteſtinis, quæ roborat & demulcet, humorum infeſtantium acrimoniam retundens ulcuſcula tandem inducentium; intemperiem calidam infringit & putredinem contrariis illi qualitatibus coërcet. quibus de cauſis Stibij crudi decoctum in plurimis morbis propinatur fœlici cum ſucceſſu, etiam malignis: quod adſtrictione ſua humores ſuperfluos exprimit & ſiccitate abſorbet, vi ſua apocrouſtica acres humores expellit, qui inflammationem & continui ſolutionem inducerent. Hippocrates ad curationem ἀλεῖφειν ἐπὶ βλεφάρους præſcribit, τετράγωνον illud appellans, quod exponunt poſt Galenum, divini ſenis interpretes Stibium, quod antiquitùs uſtum formabatur in paſtillos quadrangulares: illud per os aſſumptum bilem æruginoſam iſtius morbi cauſam tenaricer parietibus inteſtinorum, potiſſimumque ilei adhæreſcentem καθαίρει, quibus excretis cephalalgia ſympathica evaneſcit, quam errhinum ſedare non poſſet, pravis illis humoribus in meſenterio, pancreate & inteſtinis remanentibus, qui ab aliis catharticis etiam mochlicis, hippophais ſucco & elleboro prius exhibitis, evacuari non potuerunt.

PURGANTIS nomen meritò ſibi vendicat Antimonium, idcircò pluribus morbis internis debellandis idoneum: non inter blanda medicamenta reponendum, quæ primam duntaxat corporis regionem purgant, humores coctos & excretioni paratos, eductu faciles è propinquis ſolum ſedibus evocant; ſed inter mochlica recenſendum, quæ medico neceſſaria ſunt, cum conſtet debilius pharmacum, non poſſe crebritate vel copia vicem ſupplere valentioris, nec clementioris diverſæ præparationes, illud ultrà ſphæræ ſuæ activitatis limites extendere valeant; rheum nunquam ſcammonij vires æquabit, nec ſena ellebori nigri, neque ſcammonium colocynthidis. Cum itaque non ſint æquiparabilia cathartica, ad potentiora confugiendum, nimirum vectiaria, in morbis contumacibus; cum analogia inter morbum & remedium intercedere debeat, & vehementiſſima mala, præſidiis æquè vehementibus expugnari debeant, imo valentioribus; mollia ſuis ſpiculis imbellibus expultricem ſatis excitare non valent, ad glutinoſos & diſſitos humores excernendos, proindè mochlicis indigemus in acutis & chronicis morbis δυσκαταμαχήτοις. In acutis quidem, cum ab ortu ad exitum & exitium præcipiti motu feruntur, ut in apoplecticis inſultibus, in quibus non licet ἀκαίρως χρονίζειν, cum in mochlico remedio ægrotantis ſalus poſita ſit; ſicuti cum humor eſt in orgaſmo αὐθήμερον φαρμακεύειν χρὴ, in malignis & ſoporoſis affectibus, atque ἐς τὰ ἔσχατα νοσήματα αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκρίβειαν κράτισται. iis monſtris profligandis pigmæa manus non ſufficit, ſed herculeâ clavâ opus eſt, remediis nimirum πολεμιωτάτοις, quæ propter diſſimilitudinem majorem expultricem vehementius ſtimulant, camarinam non ſolum movent ſed emovent, morbum non exaſperant blandiendo, ſed ſanant: uſurpatis autem ſupra modum clementioribus magna calamitas exoritur, nam dum mitia ſectamur præceps occaſio curandi perit, & labe ſucceſſu temporis indelebili partibus inuſta, ex curabili inſanabile malum evadit, propterea non utendum cunctatione ubi pernicioſior eſt quies; διὰ τὸ ἐκ τῶν ἐ ὀμικρῶν μακρὸς ὁ θάνατος αὐτοῖς κάμνουσι γένηται. cum itaque purgantium vulgarium & benigniorum morbus vim eludit etiam repetitorum, & ampliore doſi exhibitorum, Achilleis opus eſt.

CUM plurimi morbi ſint μοχλείας δεόμενοι, ad vinum è Stibio emeticum ἡγεμονικώτατον confugiendum eſt, cæteris mochlicis præſtantius, imprimiſque ſcammonio, quod malignum eſt & quodammodo venenatum; partes ulcerat, ſpiritus & humores inflammat: coctione vis ejus purgans tenues vaneſcit in auras: qua de cauſa diapſyllium rejectum eſt; genuinum ad nos non defertur ſcammonium, ſed impurum contuſione & expreſſione elicitum, imo miſcella eſt confuſanea, quæ ſcammonij nomine circumfertur, ſuccis acrioribus tithymali, cataputiæ, & ſimilibus conſpurcata, quo fit ut ſcelerata hæc μισγάγκεια furioſo & ſeditioſo civi comparetur: vi ſua ignea inteſtina mordet & quodammodo fodit, cor, ventriculum, hepar reliquaque viſcera conturbans. Colocynthis ferocior exiſtens, ei malignitate non cedit, venas aperit, inteſtina corrodens gravioribus torſionibus excruciat, elleboro conſimilis effectu & maleficio. euphorbium cauſticæ eſt virtutis, ſuæ actionis vehementia ſyncopem, frigidumque ſudorem accerſens. Elaterium hypercatharſim inducit, ſubſtantia conſtans ignea & terrea uſta, ſerum tantum è diſtantiſſimis ſedibus expurgat. Eſula, ſoldanella, gratiola, iris ventriculo & viſceribus infenſa, ſummè calida & ſicca atque acria ſunt, ſicut Ricinus, Lathyris, Tithymali, Thymelæa, Chamælea meſerei ſpecies ejuſdem ſunt ordinis, ſeroſam dumtaxat illuviem dejectione, nonnunquam vomitione vacuantia. Elleborus albus tam violenter purgat ut prope ſtrangulet, ἀσφυξίαν & convulſionem lethalem inducens. lapis cyaneus & armenius inter venena recenſentur, ventriculum evertunt & angunt, vomitione & dejectione moleſti. Vinum è Stibio emeticum proinde neceſſarium eſt, ut pote δραστικώτατον καὶ νικητικώτατον morbis averruncandis aptiſſimum, quod utramque purgationis paginam adimplet, humores noxios vomitione & dejectione reddens, quod ad plures uſus inſtar gladij delphici deſtinatur. morbis qui vomitu indigent conferens, quatenus eſt ἀνωτερικὸν; Iis autem qui per ſeceſſum curari poſtulant, quatenus eſt κατωτερικὸν admiſtum infuſo foliorum orientalium. πολύτροπον exiſtit Antimonium, ita dictum quod non unicum & ſolitarium ſed multiplicem humorem expurget, nec ſimiliter partem unam definitè ſed varias ſupernas, infernas, proximas, remotas ſtimulet, & ad excretionem univerſalem provocet. Adeo ſuave eſt illud vinum emeticum ὑγιαστικὸν, ut qui alia cathartica averſantur & refugiunt edulia, nequidem aſſumentes juſcula protſus deplorati, jucundum illud medicamentum deglutiant, cujus opera laxata alvo priſtinæ nonnunquam ſanitati reſtituuntur.

CHEMICI nihilominus fumivenduli, ignorantiæ myſtæ, ſaluberrimam illam antidotum, fœdis inſcitiæ ſuæ vomicis venenare ſategerunt, haud ſatis cautè, cum veneni naturam ignorent, Stibium commendantes dum metallorum aurum princeps innoxie repurgare profitentur, & homini animalium Regi eſſe ſalutare proclamant, eamque labem antimonio ſolum inurant, ut majorem è ſuis præparationibus laborioſis, ſed inutilibus & pernicioſis gloriam acquirant, & quæſtum ampliorem faciant Thaumaturgi, ſicque miracula è Stibio ſuo peculiari modo præparato promittentes, vanis pollicitationibus plebeculæ crumenas emungunt, in varias diſtracti ſententias officiarum nundinatores, omneſque promittendi fallendique præſtigiis ludificantur. Jatroſophi contra ἰσόψηφοι regium illud medicamentum purgantibus adſcribunt, & facilem apparandi modum omnibus obvium proponunt, merè pharmaceuticum: putidulam veræ Medicinæ ancillulam, chemiam nimirum habentes deſpicatui, cui deneganda eſt inventio virtutis catharticæ Stibij, cum ad Hippocratem referenda ſit accepta, cujus accurata Stibij præparatio nobis ignota eſt, qua catharticum reddebat præſtantiſſimum, ſicuti & ejus ellebori præparatione tutiſſima, temporum injuria caremus: utroque uti ſolebat medicorum princeps tum in nares indito, tum per os aſſumpto ad purgationem univerſalem præſtandam, profligandorum morborum δυσιάτων gratia. illud tamen κυριώτατον catharticum ϛιβεχθαίροντες infamare non deſinunt, calumniarum ideo poſtulandi. nullum vino ἐμετοποιῷ præſtantius habemus vomitorium, quod ὠφελιμώτατον καὶ ἀλυπότατον vomitum inducit, qui pituitam exhibet accuratè cum bile permixtam, quo totius corporis compages, quod humoris vitioſi collegit, effundit per vomitum. cujus emetici neceſſitas tanta eſt, ut illius opera inpoſterum medicina carere non poſſit; alia quidem adduci poſſunt ἐμετήρια ſed inſuavia, quædam evanida, quædam utilia ſed non neceſſaria, quæ omnia illi collata longe inferiora deprehendentur. ellebori vicem ſupplet quoties ejus oggerendi ſeſe offert occaſio, & indicationes vomitus univerſalis provocandi ſuppetunt; quo tempore levioribus armis res fruſtra ſuſcipitur: penſare debet vir prudens evacuationis utilitatem cum damno quod partes percipiunt à validiore concuſſione. Ad lipothymiam uſque ſanguis aliquando detrahendus valentibus viribus, id commodi adferens, quod partitis vicibus ſanguinis eductiones nunquam ſupplebunt. qui non cedunt medicamento morbi ferro attingendi ſunt, qui ferrum reſpuunt, igne perſanantur. ita in catharticorum uſu gradatim procedendum eſt, nec ægrum convenit torquere toties quem poſſis ſemel malo redimere. Infamanda tamen non ſunt præſidia quæ multis profuere, nec temere valentiora uſurpare convenit καὶ τὸ περιξυνεκῶς δυνάμει ποιέειν, ſatius etiam eſt re exigente anceps aliquod experiri remedium quam nullum, & patienter interitum expectare. quæ noneluit purgatio, extirpat vomitio. Palmarij iſtius remedij ἐυπορίστου bonitatem & utilitatem cum multiplici experientia rationi innixa, comprobatam habeter ſchola Pariſienſis, celeberrimo decreto ſancivit inter purgantia medicamenta numerandum eſſe antimonium, quod duplici ſenatusconſulto confirmatum fuit.

Ergo morbis oppugnandis & expugnandis Stibium.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus Gallais, Scholarum Profeſſor.
M. Franciſcus Goüel.
M. Petrus Creſſé.

M. Petrus le Large, primarius Reginæ Luſitanorum Medicus.
M. Antonius Ioannes Morand.
M. Alexander Michaël Denyau, Profeſſor Regius.

M. Iacobus Thevart.
M. Philibertus Moriſſet.
M. Hermannus de Launay.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

Proponebat Lutetiæ PETRUS OZON, Argimontenſis, A.R.S.H. 1672.